



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

1750

Caput IX. Argumenta opposita refutantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83620)

dium in statu innocentie poterat homo vel angelus adherere Deo atque perseverare absque ulla gratia prædeterminante, & cum sola inclinatione ac dilectione singulis ex æquo collata. Major est ejusdem Ægidii, & minor constat ex dictis.

23. Rursus Ægidius dist. xxix. art. 2. dub. 1. lat. docet Adam per solam originalem justitiam, quæ importat subjectionem partium inferiorum ad superiora, potuisse stare & evitare peccata, non tamen potuisse proficere & mereri: quod repetit seq. art. 3. affirmans quod idcirco non potuisset mereri, quoniam, ut diximus, supponit non habuisse gratiam gratum facientem: Atqui per Ægidium justitia originalis non importat gratiam prædeterminantem, sed solam creaturam puram conditam cum subordinatione carnis ad spiritum, & cum inclinatione gratiæ superaddita naturæ: Ergo per Ægidium potuit primus homo stare & evitare peccata absque ulla gratia prædeterminante. Confirmatur ex seq. art. 111. Si Adam, quemadmodum habuit originalem justitiam, habuisset etiam gratiam habitualement, nedum potuisset stare & evitare peccatum, sed etiam mereri & proficere; & ideo potuit stare sed non potuit mereri, quia habuit originalem justitiam, sed non gratiam habitualement. Igitur juxta Ægidium in statu innocentie ut possit homo perseverare & mereri nil ultra requiritur, quam justitia originalis & gratia gratum faciens. Omnes hæc argumentationes sunt verbis Ægidii compactæ.

24. Ulterius eadem distinct. dub. iv. probat naturam integram non potuisse sese præservare à peccato sine originali justitia, *VEL sine ulteriori gratia*: quod demonstrat, quia ut homo præservet se à peccato, habeatque veram justitiam & æquitatem, requiritur inferiorum subjecto, quam innocentia præstat originalis; & quæ nisi sit, necessaria est ulterior gratia ut comprimat motus, qui insurgunt in sensualitate repu-

gnantes rationi: Igitur ubi sit justitia originalis, ut natura integra possit se præservare à peccato, non est juxta Ægidium *ulterior gratia*. Et nota quod per ulteriorem gratiam non potest Ægidius intelligere gratiam habitualement, nam ut constat ex præcedenti dub. 1. sine gratia habituali poterat creatura innocens sese præservare à peccato cum sola originali justitia. Miror neminem ex nostris, qui profitentur se Ægidianos nunquam hæc observasse.

Magister Gavardi, & Hyacinthus Serrey citant Ægidium pro ea quam tenent sententia P. 1. Hexam. cap. xv. & P. 2. cap. 111. & xxxi. Nullum alium locum commendant. Sed in his locis Ægidius solum docet Angelos primum fuisse productos, postea distinctos: primo naturam angelicam significatam fuisse per cælum, deinde per lucem. Vellem audire Ægidium asserentem Angelos bonos fuisse distinctos uberiori efficacis gratiæ adjutorio. At frustra id citatis locis requires. Quid sibi velit Ægidius ex ejus verbis satis superque intelligimus. Eo loci, & etiam dist. iv. in 2. sent. docet inter creationem angelorum & gratiam habitualement fuisse aliquam moram, ac principio collatam illis originalem justitiam, postea gratiam gratum facientem. En quomodo Angeli prius fuerunt producti, postea distincti: primo fuerunt cælum, deinde lux. Fuerunt producti cum originali justitia, distincti per gratiam habitualement: facti cælum per conditionem naturæ, lux per gratiam, lux autem à tenebris divisa per confirmationem in gratia, & per conversionem bonorum, malorumque aversionem. Imo num Angeli distincti fuerint à Deo, vel à seipsis, præterit Ægidius alto silentio: quamquam utrumque verum est, nempe distinctos à Deo per confirmationem in gratia, distinctos seipsis per conversionem ad Deum. Ergo nos neque ab Ægidio recedimus, uti nonnulli ex nostris conqueruntur.

CAPUT IX.

Argumenta opposita refutantur.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. Proponitur, & solvitur potissimum Thomistarum argumentum ex S. Augustino desumptum.

4. Solvitur alia obiectio ex S. Augustino facta.

5. Satisfit objectioni depromptæ ex Doctore gentium.

6. Etsi sequ. Expediuntur objectiones reliquæ.

1. **Objectio 1.** **O**pp. S. P. Aug. lib. xii. de civ. Dei cap. 9. ait: *Aut minorem Angeli mali acceperunt amoris Divini gratiam, quam illi qui in ea perstiterunt; aut si utrique boni creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt.* Ergo per Augustinum Angeli qui perseveraverunt, majori gratiæ suffulti sunt auxilio.

Solutio. Non una est Theologorum ad hoc potissimum Thomistarum argumentum responsio. Affirmant quidam, S. Patrem hanc sub vitæ finem, in libro scilicet de corrept. & Gratia retractasse sententiam; ita sentit, sed ut arbitror nulla ductus ratione Franciscus Henno. Putant alii Angelos, qui perseveraverunt, adjutos fuisse validiori gratia, non tamen efficaci, sed in eodem gratiæ genere, versatili nimirum atque ab Angelorum pendula arbitrio, ut censet Macedo. Quidam asserunt Angelos permanentes fuisse magis adjutos eo sensu, quod usi sunt adjutorio dato sibi divinitus, dum alii odiosum illud casumque reddiderunt. Sed vera est, & Augustino conformior responsio: Angelos qui perseveraverunt, cum possent à Deo in ancipiti statione relinqui, in præmium perseverantiæ cumulos fuisse tanta mentis illustratione, tantaque plenitudine charitatis, ut certissime noverint se in posterum nunquam ab originali justitia fore casuros. Quod apertissime explicat S. P. de Corrept. & grat. cap. x. dicens: *Diabolus vero & Angeli ejus etsi beati erant, erat tamen quod adhuc eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate steterunt; donec istam summæ beatitudinis plenitudinem tanquam præmium istius permanens acciperent: id est ut magna per Spiritum Sanctum data abundantia charitatis, cadere ulterius omnino non possent, & de se hoc certissime scirent.* Itaque illud prius amplius adjuti ad beatitudinis plenitudinem pervenerunt & istud posterius, magna per Spiritum Sanctum data abundantia charitatis, &c. unum idemque sunt. Igitur dist. conseq. Angeli, qui perseveraverunt, fuerunt magis adjuti, & hoc adjutorium est adjutorium perseverantiæ, nego; est major abundantia charitatis accepta postquam per liberum arbitrium in veritate steterunt, concedo.

2. **Notandum**
1. Atque ut omnis præcludatur aditus adversariis; notandum est, omnes fere ex nostris, hujusmodi majus adjutori-

um appellare adjutorium patriæ, non via. Quod oppugnantibus præbetansam insurgendi: Quomodo Angeli Sancti fuerunt magis adjuti auxilio patriæ, ut pervenerint ad patriam? Certe, inquit P. Serry, atque ante illum Guilelmus Estius, quod non habetur nisi in termino, medium non est quo perveniatur ad terminum; at lumen gloriæ non habetur nisi in termino: ideoque non potest esse medium, quo perveniatur ad gloriam. Itaque Augustinus non ait, Sanctos Angelos fuisse magis adjutos ut pervenirent ad gloriam, & beatitudinem. Minime. Scribit magis adjutos pervenisse ad plenitudinem beatitudinis. Jam erant beati, erat tamen quod eorum adderetur beatitudini: deerat illis major abundantia charitatis: deerat certitudo, qua scirent se amplius non esse casuros. En plenitudo beatitudinis: id superadditum est, postquam per liberum arbitrium in veritate steterunt. Quam beatitudinis plenitudinem, majoremque abundantiam charitatis ideo dicimus auxilium patriæ, quod secum trahat certitudinem & inamissibilitatem beatitudinis, non quod auxilio isto Angeli Sancti perseverarent, & pervenirent ad patriam. Accessit enim adjutorium istud postquam perseveraverunt, non antea. Attende num id verum sit. Quando angeli mali ceciderunt, boni perseverarunt: sed Angeli Sancti receperunt per Augustinum majorem Divini amoris gratiam, certamque suæ beatitudinis scientiam postquam angeli mali ceciderunt: Ergo donati sunt majori gratia postquam perseveraverant, non, ut adversarii comminiscuntur, ut perseverarent reipsa. Minor propositio est ejusdem Augustini lib. xi. præcedenti de civit. Dei cap. xiiii. *Si pares fuerunt, POST ISTORUM RUINAM illis certa scientia suæ sempiternæ felicitatis accessit.* Quapropter ea propositio, *Fuerunt adjuti auxilio Patriæ ut pervenirent ad patriam*, falsa est, neque à nobis perfertur: hæc vero, *Postquam in veritate steterunt, fuerunt adjuti pleniori charitate & scientia, quæ secum trahit beatitudinem inamissibilem patriæ*, & vera est, & Augustiniana est, & frustra sophismatum impetitur machinamentis.

Denique cum multi diversa instantia in Angelorum via distinguant, & in angelis malis multa demerita, quod facit etiam Doctor Subtilis; cur affirmare non possumus Angelos malos in primo instanti superbia tumidos corruisse, bonos autem humili conditionis creatæ confi-

3.
Notandum
2.

consideratione stantes uberiores gratiam postulasse: in altero instanti superbos angelos fuisse à Deo relictos, bonos vero confirmatos in gratia, & majori abundantia charitatis donatos: ac demum in tertio apostatas angelos sempiternis suppliciis addictos, perseverantes gloria beatitudinis coronatos; & consequenter gratiæ confirmationem, vegetioremque charitatem fuisse adiutorium *viz*, non necessarium ad perseverandum, sed datum, in præmium perseverantiæ, ut facilius ad beatitudinem pervenirent? Hæc quidem rationi consentanea sunt; nam si diutius in propriæ libertatis relictis essent indifferentia cum sola gratia versatili, deficere & ipsi angeli boni potuissent; ideoque cadentibus aliis steterunt ipsi, sed propriæ conscientie imbecillitatis, & facti aliorum, qui ruebant, timidiore exemplo, maiorem gratiam postularunt, habuerunt, tantoque ardore dilexerunt Creatorem suum, ut statim ei perpetuæ felicitatis copularentur consortio. Sed de priori argumento satis: reliqua persequamur.

4.
Objectio 2.
ex S. Augustino.

Opp. 2. Angeli boni non poterant se reddere meliores, & ab aliis discerni seipsis: Atqui si perseverassent cum solo adiutorio gratiæ versatilis, seipsis facti fuissent meliores: Ergo non poterant cum solo adiutorio gratiæ versatilis perseverare. Prob. major ex Aug. eodem loco dicente: *Si autem Angeli boni fuerunt prius sine bona voluntate, eamque in seipsis Deo non operante fecerunt, ergo meliores à seipso, quam ab illo facti sunt? Absit.*

Solutio.

Resp. dist. min. Facti meliores fuissent seipsis, id est solo naturali arbitrio, & nullo adiutorio gratiæ præventi, nego: id est arbitrio suo cum gratia Conditoris in bona voluntate permanentes, concedo. Id solum Augustinus docet, bonos Angelos non fecisse sese meliores angelis malis, quoniam utrique conditi in bona voluntate, & in gratia habituali fuerunt, in qua illi non virtute arbitrii nativa sed gratiæ beneficio steterunt, quod cuius generis fuerit, an efficax, an indifferens, ad Augustini scopum definire minime pertinebat. Quaecunque enim fuerit, semper gratia Dei effecti sunt meliores, cum gratia fuerit bona voluntas primordio eis inspirata, gratia illustratio mentis superna, gratia auxilium *sine quo* non poterant in accepta persistere sanctitate. Explicat semet Augustinus, dicens ibidem: *Neque enim Angeli seipsos meliores fecerunt, quàm à Deo facti sunt, sed in eadem bo-*

na voluntate permanserunt, in qua primum conditi sunt.

Opp. 3. Pertinet etiam ad angelos dictum illud Apost. in 1. ad Corinth. *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* At Augustinus ex eo principio demonstrat contra Pelagianos necessitatem gratiæ victricis in statu naturæ lapsæ: Ergo istiusmodi gratia erat etiam in statu innocentie ad perseverandum necessaria. Profecto monitum Apostolicum etiam ad Angelos pertinere affirmat S. P. lib. XI. de civit. Dei cap. 19.

5.
Objectio 3.
ex S. Paulo.

Resp. conc. maiorem. Etenim Angeli à Deo virtutem acceperunt perseverantiæ, sed non eodem modo, quo filii Adam; in illis enim supernaturalis virtus dabat ut possent perseverare; in his præstat ulterius ut actualiter perseverarent. Atque dist. minor. Ex præfato Apostolico testimonio probat Augustinus contra Pelagianos necessitatem gratiæ victricis, ita ut necessitas gratiæ, prout contradistinguitur à donis naturalibus, eruatur inde invictissime, concedo: ita ut necessitas gratiæ victricis quatenus à gratia indifferenti secernitur, ex verbis Apostolicis evincatur sine suppositione vulneratæ per originale peccatum naturæ, nego. Quidquid creatura habet, desursum est, ac beneficium liberalissimum Largitoris, neque ullatenus gloriari illa potest, nisi in Domino. Si Angeli absque ulla gratia creati essent, sibi que sola naturali virtute sanctitatem & iustitiam comparassent, gloriari utique potuissent se habere quod à Domino non acceperunt; & si homo fractis viribus, ignarus, pugna sensuum suorum laceratus cum sola gratia versatili posset bonum agere; posset gloriari se infirmum debilemque tantum perficere, quantum Angeli præstiterunt, & quantum primus homo non fecit. Itaque ex Apostoli textu nulla facta statuum comparatione probatur necessitas gratiæ, prout gratia est donum naturæ superadditum, præscindendo an gratia istiusmodi indifferens sit, an prædeterminans, idque in unoquoque stato magnum est argumenti pondus: at si circumstantiæ superaddantur infirmitatis, demonstratur inde validioris gratiæ adminiculum, quod non spectat naturæ conditionem, sed lapsum. Nequit homo sive infirmus sit, sive sanus vivere absque alimentis, quæ Conditoris providentia ministrat: Si desint hæc, necesse est moriatur: si quis absque Conditoris munere sata conderet, pararetque alimonia, superbire posset, quod

Solutio.

se propria industria servaret. Hæc ratio communis est tam homini infirmo, quam sano. At mala valetudine affectus nedum eget alimentis quæcunque sint, sed talibus, quibus & vita servari possit, & vires deperditæ reparentur. Aliunde repetitur necessitas alimentorum; aliunde talium alimentorum: prima est necessitas orta ex conditione naturæ; hæc vero necessitas proveniens ex contracta virium infirmitate. Hoc allato exemplo de gratiæ necessitate loquitur S. P. lib. de Corrept. & Grat. cap. xii. & lib. xiv. de civ. Dei cap. 27.

Obiectio 4.

Opp. 4. Debuit creatura innocens ut perseveraret suppliciter orare Deum, & auxilium gratiæ humiliter postulare: Ergo gratiam, quæ ad actualem requiritur perseverantiam, non habuit; cum oratio impetratoria sit, & nihil petatur, nisi quod ab aliena liberalitate conceditur. Atque hinc est quod ex Orationibus Ecclesiæ pobat Augustinus efficacis gratiæ necessitatem. Probi. ant. ex Libello Gelasii adversus Pelagianos, qui habetur Tom. iv. Conciliorum Philippi Labbei, ubi Romanus Pontifex ait: *Illam primam conditionis integritatem, dum ita de se fudit, tanquam ipso qui condiderat non egeret; nec de perceptis agit gratias, quod nusquam fecisse memoratur, nec pro conservandis quæ sumpserat poscit auxilium, nec ad eum etiam pulsata tentatoris accessu devota concurrit, & consulit, suæque se credit inter prospera voluntati, facile sine præsidio Creatoris patuit infidiis deceptoris; & in prævaricationem tracta consequenter illi cuncti, conditionem præfixæ mortis invenit.*

Solutio.

Resp. dist. antec. Debuit creatura innocens Deum orare oratione gemitus, nego: oratione laudis, concedo. Appello orationem gemitus illam, qua petitur auxilium nondum collatum: orationem laudis, qua de accepto auxilio gratiæ Deo referuntur. Sic pauper stipem postulat gemitu dum percellitur fame: sed accepta elemosyna laudat divitem misericordem, petitque ne se in posterum derelinquat. Ergo creatura innocens, quoniam originalem justitiam ac bonam voluntatem acceperat ex liberalitate Creatoris, tenebatur animadvertere se Divini muneris conservatione indigere: atque in hoc erravit magnopere Adam, & malus angelus; quod prioribus verbis significat Gelasius Papa, dicens: *Dum ita de se fudit, tanquam ipso, qui condiderat, non egeret.* Tenebatur insuper omnium donorum largitori humiles gratias rependere; nam beneficio-

rum oblivisci vitium est ingrati tudinis detestabile: quod damnans Gelasius subdit: *Nec de perceptis agit gratias, quod nusquam fecisse memoratur.* Tenebatur quoque pulsante tentatione orare ne Divino destitueretur auxilio, quod, etsi præsto aderat, poterat illud Altissimus, qui donorum suorum est Dominus, subtrahere: & ideo addit Romanus Pontifex: *Nec ad eum pulsata tentatoris accessu devota concurrit.* Quod autem creatura innocens teneretur petere gemebunda uberius victicis gratiæ adiutorium, frustra Adversarii ex verbis Gelasii conabuntur nobis insinuare. Peristere non voluerunt Angeli & Adam, quod Dei gratiam in vacuum receperint, nec de perceptis gratias referendo, nec ut eadem intemerata durarent, suppliciter implorando, ut repetit S. Gelasius paulo infra. Itaque si orassent oratione laudis, & implorassent ut accepta dona intemerata conservarentur, absque prædeterminante gratia perseverassent. Quo argumenti genere utitur Gelasius contra Pelagianos, quasi diceret: Fuit necessaria gratia creaturæ innocenti, ergo à fortiori indiget illa homo lapsus: si illa superbiendo, ac nimium de se fidens in veritate non stetit; quomodo nunc stare præsumat viribus contracta, ac vulnere sauciata lethali? Atque argumentum istud est etiam in Augustini libris usitatissimum. Hæc malo respondere, quam reponere Gelasium diversa ab Augustino sentire.

Opp. 5. In Augustini libro de Cantico novo cap. 8. habetur: *Quid valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipso Adamo monstratum est.*

Solutio

Ref. (quamvis citatum librum non esse Augustini communiter censeant Critici, quod neque in libris Retract. neque in indiculo Possidii memoretur) id verum esse absque ullo gratiæ verisimili præiudicio. Primo monstratum est in Adamo cum sola gratia indifferente hominem esse in manu consilii sui, & posse sive ad aquam porrigere manum; quum per efficacem gratiam Salvatoris regatur omnipotentis dextera Dei, & quamvis infirmus non tamen deficiat, neque adversitate aliqua superetur. Deinde in Adamo monstratum est, arbitrium non adjutum, scilicet virium suarum confidentia Dei munera pessumdans ac sponte abiciens, & sic propriis viribus relictum, posse tantum peccare; veluti in claudo, qui projiciat omne sustentaculum & cadat, apparet non posse baculo destitutum incedere. Hanc interpretationem tradit apertissime S. P. term.

serm. xi. de Verbis Apostoli, dicens: *Regebat eum ipse qui fecerat; voluit deserere eum à quo factus est: permisit Deus tanquam dicens, deserat me & inueniat se, & miseria sua probet, quia nihil potest sine me.* Hoc modo ergo ostendere voluit Deus, quid liberum arbitrium valeat sine Deo. Per eam igitur exponunt Thomistæ verba Augustini, quasi in Adam monstratum sit, quod sine gratia efficaci non poterat permanere: cum ibi intelligatur arbitrium nedum destitutum gratia efficaci, verum etiam deserens eum à quo factus est, relictum propriis viribus, abiciens munera Conditoris, fidens sibi ipsi, & parvipendens adiutorium, sine quo non poterat perseverare potuisset tamen nisi superbiendo sibi metipsum maluisset blandiri.

8.
Obiectio 6.

Opp. 6. In statu quoque innocentiae juxta Augustini placita adstrui debet gratuita prædestinatio; Igitur & gratia victrix ac prædeterminans. Probatur aut. exemplo Christi, qui absque ulla meritorum prævisione electus est: unde Augustinus in lib. de Prædest. SS. cap. xv. inquit: *Est etiam præclarissimum lumen prædestinationis & gratia ipse Salvator, ipse mediator Dei, & hominum Christus Jesus.*

Solutio.

Resp. nego ant. Ostendimus enim sup. capite in statu innocentiae prædestinationem fuisse arbitrii mercedem, nunc vero gratiam liberationis, quod accipiendum est de arbitrio gratia Dei suffulto, & de mercede reddenda meritis gratia comparatis, sed gratia versatili ac propria illius status; nam merita naturalia etiam hominis integri committuntur, ut definitum est à Summis Pontif. Pio V. & Gregorio XIII. Ad probat. dico, non eandem esse de Christo, & de simplici creatura rationem. Nam Christus primogenitus multorum fratrum & caput prædestinatorum spectat ad Ecclesiam istam, quam acquisivit sanguine suo: & in unoquoque corpore eadem est vita capitis & membrorum, in unaquaque Ecclesia eadem gratia Capitis & Fidelium, qui spiritualem vitam ex eo hauriunt ac participant. Propterea cum nos efficacibus indigeamus adiutoriiis, etiam Redemptori nostro collata sunt, non ob ejus necessitatem, sed propter Ecclesiae sponsae suae participationem atque ornamentum. Quamquam Augustinus, qualem gratiam habuerit Christus, expresse non meminit; videtur autem talem esse ejusdem sensum verborum: Sicut Christus, ut esset hominum Redemptor, & unionem haberet hypostaticam, nullis præcedenti-

bus meritis creditur prædestinatus; ita nos ad initium, fidei & ad gratiam, atque in hac perditionis massa etiam ad gloriam, nullo meritorum intuitu fuimus præordinati. Sicut ergo prædestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset, ita multi prædestinati sumus, ut membra ejus essemus. Humana hic merita conticescant, quæ perierunt per Adam, & regnet quæ regnat Dei gratia, per Jesum Christum Dominum nostrum: ait ibidem S. Pater.

Opp. 7. Adversantur tradita statuum divisioni præclarissimi Ecclesiae Patres: Obiectio 7. Fulgentius, qui lib. ii. ad Trasimundum cap. 2. scribit eandem gratiam custodisse angelum à ruina & reparasse hominem lapsum: Gregorius, qui lib. xv. Moralium cap. xxxi. ad occulta judicium Dei, non ad merita refert, quod ex angelis aliquos sempiterna beatitudine donaverit, alios æternis addiderit cruciatibus: universa demum Ecclesia, quæ vetat anathemate, ne asseramus bonis angelis, & primo homini, si ad ultimum vitæ perseverasset, felicitatem futuram fuisse mercedem, non gratiam.

Resp. Fulgentium gratiam Conditoris & gratiam Reparatoris eandem appellavisse non quantum ad vim effectricem, sed quantum ad principium, & virtutem Dei omnipotentis, qui eam imperat. Constat ex eodem Fulgentio, cujus hæc sunt verba: *Una est in utroque gratia operata, in hoc ut surgeret, in illo ne caderet: in illo ne vulneraretur, in isto ut sanaretur: ab hoc infirmitatem repulit, hunc infirmari non sinuit. Illius esca, istius medicina. Hunc autem quisquis sanum sapit, Filium Dei esse non ambigit, qui est virtus & sapientia Patris, sapientia immutabilis, virtus inseparabilis.* Quo trahunt, quæso, Thomistæ hunc locum, ex quo contra Arianos probatur Unigenitum Dei Filium, nedum hominem factum fuisse humani generis Salvatorem, sed etiam, ut Virtus & Sapientia Patris est, servatorem fuisse angelorum, & consequenter immutabilem Deum, & Patri consubstantialem? Hæc sunt egregia pro efficaci gratia testimonia? Si ita est; si eadem gratia quantum ad vim effectricem in utroque statu requiritur, quomodo erit potentior quæ sanat vulnera, & reprimat perduellum concupiscentiam? Et si validior est; quomodo est eadem? Sed lege Fulgentium in lib. de Fide ad Petrum cap. 3. diserte cum Augustino docentem angelos sanctos non fuisse à Deo majori gratia sanctæ dilectionis cummulatos,

9.

Obiectio 7.

Solutio 1.

10.
Solutio 2.

mulatos; nisi postquam aliis cadentibus ipsi propria voluntate steterunt.

Gregorius vero ad inscrutabilia iudicia Dei refert, non quod angeli boni steterint, aut mali ceciderint, sed quod Deus noluerit istis ignoscere, atque ad resipiscendum gratiam largiri: quod cum esset omnipotens, poterat si voluisset, & quare noluerit latet in altitudine divitiarum scientiæ suæ. Habet similia S. P. Augustinus lib. xi. de Gen. ad lit. cap. 10. quæ perperam ad se trahunt Adversarii. Quid enim ad illorum causam accedet, si fateamur Deum potuisse angelos desertores convertere, & cur noluerit penes ipsum esse, ut scribunt Gregorius & Augustinus? Id nullus ratione præditus negat: cur autem uni, non alteri donetur perseverantia; pertinet ad inscrutabilia iudicia Dei in hoc tantum statu, in quo uni misericorditer confertur, alteri iuste denegatur, & quare huic conferatur, non illi, cum omnes in massa fuerint perditionis, causa nulla est, præter Dei beneplacitum. Hæc ad illum statum non pertinent, in quo perseverare aut non perseverare in libero erat arbitrio. Sed age, quandoquidem Magnum Gregorium laudavimus, audias illum hæc lib. v. Moral. cap. 28. scribentem: *Mire autem omnipotens Deus naturam summorum spirituum bonam sed mutabilem condidit, ut & qui permanere nollent, ruerent, & qui in conditione persisterent, tanto in ea jam dignius, quanto ex arbitrio starent; & eo majoris apud Deum meriti fierent, quo mutabilitatis suæ motum voluntatis statione fixissent.* Quidnam pro sententia nostra desideras manifestius? Porro & nos fatemur merita bonorum

angelorum fuisse ex gratia; sed negamus fuisse ex gratia prædeterminante: unde quod ultimo loco opponebatur, urget Bajum, non Augustini discipulos.

Sunt quædam alia apud Hyacinthum Serry; sed ex dictis prorsus corruunt. Accusat nos antilæ, quod gratuita prædestinationis sumus propugnatores: sed angelos gratis prædestinatos quis hujus nostræ sententiæ assertor putavit unquam? Ait providentiam certam esse infallibilitate mediorum: at quis ex nobis in hac providentia, quæ infirmos spectat, naturam quoque integram comprehendit? Inquit nos statuere scientiam Dei esse causam rerum omnium: verum quis nostrum de omni penitus scientia, atque de æquali in omni eventu causalitate id fateatur? Hæc, & similia eadem exsufflantur, qua proferuntur, facilitate. Istius generis sunt, quæ afferuntur ex historia Congr. de Auxiliis, in qua Molinianus Orator die 22. Novemb. 1605. curavit evertere necessitatem gratiæ efficacis ex lib. de Corrept. & Grat. S. Augustini; nam quod Jesuita affirmaverit auxilium prædeterminans non esse necessarium ex dependentia causæ secundæ à prima, verum est: quod ex eo principio asseruerit non opus esse in hoc statu auxilio prædeterminante, falsum est: cum ex eodem Augustini libro demonstretur hujus auxilii necessitas ex capite infirmitatis. Quæ vero obijciunt alii Thomistæ ex ratione primi moventis, & indifferentiæ creaturarum, fuerunt omnia superius refutata: neque opus est recudantur hoc capite, in quo nimis forte ob Adversariorum meorum dignitatem lectores defatigavi.

CAPUT X.

Sitne scientia futurorum contingentium, de quibus pertractatum est, appellanda juxta consuetudinem Scholasticorum Scientia Media?

SUMMARIUM.

1. De scientia simplicis intelligentiæ, & visionis.
2. Aliorum Doctorum opiniones.
3. Si accipias scientiam mediam pro certa præscientia futurorum ordinis naturalis, sive supernaturalis in statu naturæ innocentis, nec non operum malorum ejusdem status absque ullo prædeterminante decreto, admittitur vocabulum scientiæ mediæ.

1.
De scientia
simplicis in-
telligentiæ,
& visionis.

PRIMO hujus libri cap. diximus scientiam Dei comparate ad possibilia appellari in Scholis scientiam simplicis

4. Præscientia peccatorum in statu naturæ ipsæ spectat ad scientiam visionis, non verò ad scientiam mediam.

5. Et seqq. Scientia media futurorum conditionum, quæ neque sit scientia simplicis intelligentiæ, neque visionis, nec in præsentis statu, nec in statu innocentie habet locum.

intelligentiæ, seu, ut vocant aliqui, naturalem: connotative vero ad res in aliqua temporis differentia existentes, scientiam.